

VERSION LATINE

DURÉE : 4 heures

*L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé
(à l'exclusion de tout autre recueil de vocabulaire)*

ÉCHANGES DE VUE ENTRE CICÉRON ET POMPÉE AVANT LA BATAILLE DE PHARSALE

« Hoc pro tot meritis solum te, Magne⁽¹⁾, precatur
uti se Fortuna uelis, procuresque tuorum
castrorum regesque tui cum supplice mundo
adfusi, uinci socerum patiari rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Caesar erit? Merito Pompeium uincere lente
gentibus indignum est a transcurrente subactis.
Quo tibi feruor abit aut quo fiducia fati?
De superis, ingratis, times causamque senatus
credere dis dubitas? Ipsae tua signa reuellent
prosilientque acies : pudeat uicisse coactum.
Si duce te iusso, si nobis bella geruntur,
sit iuris, quocumque uelint, concurrere campo.
Quid mundi gladios a sanguine Caesaris arces?
Vibrant tela manus, uix signa morantia quisquam
expectat : propera ne te tua classica linquant.
Scire senatus auct, miles te, Magne, sequatur
an comes. » Ingemuit rector sensitque deorum
esse dolos et fata suae contraria menti :
« Si placet hoc » inquit « cunctis, si milite Magno,
non duce tempus eget, nil ultra fata morabor :
inuoluit populos una fortuna ruina
sitque hominum magnae lux ista nouissima parti.
Testor, Roma, tamen Magnum quo cuncta perirent
accepisse diem. Potuit tibi uolnere nullo
stare labor belli ; potui sine caede subactum
captiuumque ducem uiolatae tradere paci.
Quis furor, o caeci, scelerum ? Ciuilia bella
gesturi metuunt ne non cum sanguine uincant. »

LUCAIN, *Pharsale*, 7.

⁽¹⁾ Magnus, surnom de Pompée, chez Lucain désignation usuelle du personnage.

VERSION LATINE

DURÉE : 4 heures

*L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé
(à l'exclusion de tout autre recueil de vocabulaire)*

Malgré des vues identiques sur l'urgence d'une action, Cicéron et Cassius ont choisi des moyens différents pour agir dans le bien de l'État.

Etsi uterque nostrum spe pacis et odio ciuilis sanguinis abesse a belli pertinacia uoluit, tamen, quoniam eius consili princeps ego fuisse uideor, plus fortasse tibi praestare ipse debeo quam a te exspectare ; etsi, ut saepe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum et item mecum tuus adduxit utrumque nostrum ad id consilium ut uno proelio putaremus, si non totam causam, at certe nostrum iudicium definiri conuenire. Neque quisquam hanc nostram sententiam uere umquam reprehendit praeter eos qui arbitrantur melius esse deleri omnino rem publicam quam imminutam et debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. Sed ea sunt consecuta ut magis mirum sit accidere illa potuisse quam nos non uidisse ea futura nec, homines cum essemus, diuinare potuisse. Equidem fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali proelio facto et uictores communi saluti consuli uellent et uicti suae ; utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate uictoris. Quae si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa quam cognouit Asia, quam etiam Achaia te, ut opinor, ipso legato ac deprecatore. Amisissis autem temporibus, quae plurimum ualent, praesertim in bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit ut uictoriam sperarent, alios ut ipsum uinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam Fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri aut nescio quem istum Pharnacem Asiae terrorem illaturum putaret ? Nos tamen in consilio pari casu dissimili usi sumus. Tu enim eam partem petisti ut et consiliis interesses et, quod maxime curam leuat, futura animo prospicere posses ; ego, qui festinaui ut Caesarem in Italia uiderem... ab illo longissime et absum et afui.

CICÉRON.

VERSION LATINE

DURÉE : 4 heures

*L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé
(à l'exclusion de tout autre recueil de vocabulaire)*

LA MORT DE JOCASTE

OEDIPVS – Iam parce uerbis, mater, et parce auribus :
per has reliquias corporis trunci precor,
per inauspicatum sanguinis pignus mei,
per omne nostri nominis fas ac nefas.
IOCASTA – Quid, anime, torpes ? Socia cur scelerum dare
poenas recusas ? Omne confusum perit,
incesta, per te iuris humani decus :
morere et nefastum spiritum ferro exige.
Non si ipse mundum concitans diuum sator
corusca saeva tela iaculetur manu,
umquam rependam sceleribus poenas pares
mater nefanda. Mors placet : mortis uia
quaeratur. Agedum, commoda matri manum,
si parricida es. Restat hoc operi ultimum :
rapiatur ensis ; hoc iacet ferro meus
coniunx, quid illum nomine haud uero uocas ?
Socer est. Vtrumne pectori infigam meo
telum an patenti conditum iugulo inprimam ?
Eligere nescis uulnus : hunc, dextra, hunc pete
uterum capacem, qui uirum et gnatos tulit.
CHORVS – Iacet perempta. Vulneri immoritur manus
ferrumque secum nimius eiecit cruor.
OEDIPVS – Fatidice te, te praesidem ueri deum
compello : solum debui fatis patrem ;
bis parricida plusque quam timui nocens
matrem peremi : scelere confecta est meo.
O Phoebe mendax, fata superaui impia.
Pauit ante gressu sequere fallentes uias ;
suspensa plantis efferens uestigia
caecam tremante dextera noctem rege.
Ingredere praeceps, lubricos ponens gradus,
I, profuge : uade ! Siste, ne in matrem incidas.

SÉNÈQUE, *Œdipe*.

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

*L'usage d'un ou plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé
(à l'exclusion de tout autre recueil de vocabulaire)*

UN HABILE AMBASSADEUR

In hanc dimicationem duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentesque animos intenderant, inter quos Philippus Macedonum rex eo magis quod propior Italiae ac mari tantum Ionio discretus erat. Is ubi primum fama accepit Hannibalem Alpes transgressum, ut bello inter Romanum Poenumque orto laetatus erat, ita utrius populi mallet uictoriam esse incertis adhuc uiribus fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia iam pugna, tertia uictoria cum Poenis erat, ad fortunam inclinavit legatosque ad Hannibalem misit ; qui uitantes portus Brundisium Tarentinumque, quia custodiis nauium Romanarum tenebantur, ad Laciniae Iunonis templum in terram egressi sunt. Inde per Apuliam petentes Capuam media in praesidia Romana inlati sunt deductique ad Valerium Laeuinum praetorem, circa Luceriam castra habentem. Ibi intrepide Xenophanes, legationis princeps, a Philippo rege se missum ait ad amicitiam societatemque iungendam cum populo Romano ; mandata habere ad consules ac senatum populumque Romanum. Praetor inter defectiones ueterum sociorum noua societate tam clari regis laetus admodum hostes pro hospitibus comiter accepit. Dat qui prosequantur ; itinera cum cura demonstrat et quae loca quosque saltus aut Romanus aut hostes teneant. Xenophanes per praesidia Romana in Campaniam, inde qua proximum fuit in castra Hannibalis peruenit foedusque cum eo atque amicitiam iungit legibus his : ut Philippus rex quam maxima classe — ducentas autem naues uidebatur effecturus — in Italiam traiceret et uastaret maritimam oram, bellum pro parte sua terra marique gereret ; ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Hannibalis esset praedaque omnis Hannibali cederet ; perdomita Italia nauigarent in Graeciam bellumque cum quibus regi placeret gererent ; quae ciuitates continentis quaeque insulae ad Macedoniam uergunt, eae Philippi regnique eius essent.

TITE-LIVE

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Incohérence des Stoïciens à l'égard de la divination

Atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim uita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset quos euentus senectutis esset habiturus ? Abeamus a fabulis, propiora uideamus. Clarissimorum hominum nostrae ciuitatis grauissimos exitus in Consolatione collegimus. Quid igitur ? Vt omittamus superiores, Marcone Crasso putas utile fuisse tum, cum maxumis opibus fortunisque florebat, scire sibi interfecto Publio filio exercituque deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum ? An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem uero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere ? Quid uero Caesarem putamus, si diuinasset fore ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia ante ipsius Pompeii simulacrum tot centurionibus suis inspectantibus a nobilissimis ciuibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi uitam acturum fuisse ? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia. Nam illud quidem dici, praesertim a Stoicis, nullo modo potest : 'non isset ad arma Pompeius, non transisset Crassus Euphratem, non suscepisset bellum ciuile Caesar'. Non igitur fatalis exitus habuerunt : uultis autem euenire omnia fato : nihil ergo illis profuisset diuinare ; atque etiam omnem fructum uitae superioris perdidissent : quid enim posset iis esse laetum exitus suos cogitantibus ? Ita, quoquo sese uerterint Stoici, iaceat necesse est omnis eorum sollertia.

CICÉRON.

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

DIFFICILE RETOUR D'EXIL

En 47 après J.-C., sous le principat de Claude, le jeune prince chérusque Italicus, neveu d'Arminius, né et élevé à Rome comme un aristocrate romain, est exfiltré dans son pays d'origine par la diplomatie romaine, bien décidée à profiter d'une vacance du pouvoir chez cette peuplade germanique en proie à des luttes intestines continuelles pour installer sur le trône chérusque un de ses pions...

Eodem anno, Cheruscorum gens regem Roma petiuit, amissis per interna bella nobilibus et uno reliquo stirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur nomine Italicus. Paternum huic genus e Flauo, fratre Arminii, mater ex Actumero principe Chattorum erat ; ipse forma decorus et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere : 'illum primum, Romæ ortum nec obsidem sed ciuem, ire externum ad imperium'. Ac primo lætus Germanis aduentus, atque eo quod nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret, celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam, nulli inuisa, sæpius uinolentiam ac libidines, grata Barbaris, usurpans. Iamque apud proximos, iam longius clarescere, cum potentiam eius suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos ac testificantur adimi ueterem Germaniæ libertatem et Romanas opes insurgere : 'adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flauii progenies super cunctos attollatur ? Frustra Arminium præscribi : cuius si filius hostili in solo adultus in regnum uenisset, posse extimesci, infectum alimonio, seruitio, cultu, omnibus externis ; at si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac deos penates quam parentem eius exercuisse'.

His atque talibus magnas copias coegere, nec pauciores Italicum sequebantur. Non enim irrupisse ad inuitos, sed accitum memorabat, quando nobilitate ceteros anteiret : 'uirtutem experirentur an dignum se patruo Arminio, auo Arctumero praeberet. Nec patrem rubori, quod fidem aduersus Romanos uolentibus Germanis sumptam numquam omisisset. Falso libertatis uocabulum ostendi ab iis qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant'.

TACITE.

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

MALHEUR DU POÈTE EXILÉ EN TERRE BARBARE

Vtque neque insidias capitisque pericula narrem,
Vera quidem, ueri sed grauiora fide,
Viuerè quam miserum est inter Bessosque Getasque
Illum qui populi semper in ore fuit !
Quam miserum est porta uitam muroque tueri
Vixque sui tutum uiribus esse loci !
Aspera militiae iuuenis certamina fugi,
Nec nisi lusura mouimus arma manu ;
Nunc senior gladioque latus scutoque sinistram,
Canitiem galeae subicioque meam.
Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus,
Induimus trepida protinus arma manu.
Hostis habens arcus inbutaque tela uenenis
Saeuus anhelanti moenia lustrat equo ;
Vtque rapax pecudem quae se non textit ouili
Per sata, per siluas fertque trahitque lupus,
Sic, si quem nondum portarum saepe receptum
Barbarus in campis repperit hostis, habet :
Aut sequitur captus coniectaque uincula collo
Accipit aut telo uirus habente perit.
Hic ego sollicitae iaceo nouus incola sedis :
Heu nimium fati tempora lenta mei !
Et tamen ad numeros antiquaque sacra reuertì
Sustinet in tantis hospita Musa malis.
Sed neque cui recitem quisquam est mea carmina nec qui
Auribus accipiat uerba latina suis.
Ipse mihi – quid enim faciam ? – scriboque legoque,
Tutaque iudicio littera nostra suo est.
Saepe tamen dixi : « Cui nunc haec cura laborat ?
An mea Sauromatae scripta Getaeque legent ? »

OVIDE.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Les grands hommes sont honorés par tous : l'exemple de Scipion l'Africain

Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium eius¹ a militibus suis interceptum honoratissime excepit regiisque muneribus donatum ultro et celeriter patri remisit, quamquam ab eo tum maxime finibus imperii² pellebatur. Sed et rex et lacessitus maiestatem excellentissimi uiri uenerari quam dolorem suum ulcisci maluit. Ad eundem Africanum in Liternina uilla se continentem conplures praedonum duces uidendum eodem tempore forte confluerunt. Quos cum ad uim faciendam uenire existimasset, praesidium domesticorum in tecto conlocauit eratque in his repellendis et animo et apparatu occupatus. Quod ut praedones animaduerterunt, dimissis militibus abiectisque armis, ianuae adpropinquant et clara uoce nuntiant Scipioni non uitae eius hostes, sed uirtutis admiratores uenisse, conspectum et congressum tanti uiri quasi caeleste aliquod beneficium expetentes : proinde securum se spectandum praebere ne grauetur. Haec postquam domestici Scipioni retulerunt, fores reserari eosque intromitti iussit. Qui postes ianuae tamquam aliquam religiosissimam aram sanctumque templum uenerati cupide Scipionis dexteram adprehenderunt ac diu osculati, positis ante uestibulum donis, quae deorum immortalium numini consecrari solent, laeti, quod Scipionem uidisse contigisset, ad lares reuerterunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius, quid etiam iucundius ? Hostis iram admiratione sui placauit, spectaculo praesentiae suae latronum gestientes oculos uidit.

Valère Maxime.

¹ *Eius* désigne Scipion l'Africain.

² *Imperii* désigne le royaume d'Antiochus.

Tournez la page S.V.P.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Portrait comparé du sage et de l'homme ambitieux

Hic praesentibus gaudet, ex futuro non pendet; nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaque curis exemptus et distortis mentem et nihil sperat aut cupit nec se mittit in dubium, suo contentus. Et, ne illum existimes¹ paruo esse contentum, omnia illius sunt, non sic quemadmodum Alexandri fuerunt, cui quamquam in Rubri maris steterat plus deerat quam qua uenerat. Illius ne ea quidem erant, quae tenebat aut uicerat, cum in Oceano Onesicritus² praemissus explorator erraret et bella in ignoto mari quaereret. Non satis apparebat inopem esse, qui extra naturae terminos arma proferret, qui se in profundum inexploratum et immensum auiditate caeca prorsus immitteret? Quid interest quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? Tantum illi deest quantum cupit.

Nec hoc Alexandri tantum uitium fuit, quem per Liberi Herculisque uestigia felix temeritas egit, sed omnium quos fortuna inritauit implendo. Cyrum et Cambysem et totum regni Persici stemma percense: quem inuenies cui modum imperii satietas fecerit, qui non uitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est: quidquid cupiditati contingit, penitus hauritur et conditur.

SÉNÈQUE.

¹ Sénèque s'adresse ici à son ami Liberalis.

² Onésicrite: général de l'armée d'Alexandre le Grand et auteur d'une histoire de la campagne d'Asie.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Après la chute de Troie, Pénélope écrit à Ulysse pour déplorer son absence

Sed mihi quid prodest uestris disiecta lacertis
Ilios, et murus quod fuit esse solum,
si maneo qualis Troia durante manebam
uirque mihi dempto fine carendus abest ?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
incola captiuo quae boue uictor arat.
Iam seges est ubi Troia fuit resecandaque falce
luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus ;
semisepulta uirum¹ curuis feriuntur aratris
ossa ; ruinosas occulit herba domos.
Victor abes nec scire mihi quae causa morandi
aut in quo lateas, ferreus, orbe licet.
Quisquis ad haec uertit peregrinam litora puppim,
ille mihi² de te multa rogatus abit,
quamque tibi reddat, si te modo uiderit usquam,
traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon³, antiqui Neleia Nestoris arua,
misimus⁴ ; incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten ; Sparte quoque nescia ueri.
Quas habitas terras aut ubi lentus abes ?
Vtilius starent etiamnunc moenia Phoebi⁵
(irascor uotis, heu !, leuis ipsa meis).
Scirem ubi pugnares et tantum bella timerem
et mea cum multis iuncta querela foret.

OVIDE

¹ uirum = uirorum

² mihi = a me

³ Pylon : accusatif grec

⁴ misimus : comprendre : misimus nuntium

⁵ Selon la légende Phébus avait été associé à la fondation de Troie.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

La fin d'une tradition : pourquoi les jeunes garçons n'assistent plus aux séances du Sénat avec leurs pères

Mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium quidnam in senatu patres egissent. Puer respondit tacendum esse neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior; secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum euerberat: quaerit igitur compressius uiolentiusque. Tum puer, matre urgente, lepidi atque festiui mendacii consilium capit. Actum¹ in senatu dixit utrum uideretur utilius exque republica² esse, unusne ut duas uxores haberet an ut una apud duos nupta esset. Hoc illa ubi audiuit, animus compauescit; domo trepidans egreditur ad ceteras matronas. Peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua; lacrimantes atque obsecrantes orant una potius ut duobus nupta fieret quam ut uni duae. Senatores ingredienti in curiam, quae illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istaec uellet, mirabantur. Puer Papirius in medium curiae progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem sicut fuerat denarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, praeter ille unus Papirius, atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum « Praetextatus » ob tacendi loquendique in aetate praetextae prudentiam.

Aulu-Gelle

¹ Actum = actum esse

² Ex republica : « conforme aux intérêts de l'Etat ».

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Une éclipse de lune et ses conséquences sur l'armée d'Alexandre le Grand lors de la conquête de la Perse

Dis inuitis in ultimas terras trahi se querebantur¹ : iam nec flumina posse adiri² nec sidera pristinum seruare fulgorem, uastas terras, deserta omnia occurrere ; in unius hominis iactationem tot milium sanguinem impendi, fastidio esse patriam³, abdicari Philippum patrem, caelum uanis cogitationibus petere⁴.

Iam prope seditionem res erat, cum ad omnia interritus duces principesque militum frequentes adesse praetorio iubet, Aegyptiosque uates, quos caeli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sentirent expromere iubet. At illi, qui satis scirent temporum orbes⁵ implere destinatas uices lunamque deficere, cum aut terram subiret aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perceptam non edocent uulgi ; ceterum adfirmant solem Graecorum, lunam esse Persarum, quotiensque illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi, ueteraque exempla percensent Persidis regum, quos aduersis dis pugnasse lunae ostendisset defectio.

Nulla res multitudinem efficacius regit quam superstitio : alioqui impotens, saeua, mutabilis, ubi uana religione capta est, melius uatibus quam ducibus suis paret. Igitur edita in uulgi Aegyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes.

Quinte-Curce

¹ Ce verbe a pour sujet *Alexandri milites*.

² Allusion aux difficultés qu'avait présentées la traversée du Tigre.

³ comprendre : *ei fastidio esse patriam*.

⁴ comprendre : *eum caelum uanis cogitationibus petere*.

⁵ *temporum orbes* : « le cours des astres ».

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

ÉLOGE PAR CICÉRON DE LA POLITIQUE MENÉE PAR CÉSAR EN GAULE

Bellum Gallicum, Patres conscripti, C. Caesare imperatore gestumst, antea tantum modo repulsum. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello quam lacesendas putauerunt. Ipse ille C. Marius, cuius diuina atque eximia uirtus magnis populi Romani luctibus funeribusque subuenit, influentis in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbis sedisque penetrauit. Modo ille meorum laborum periculorum consiliorum socius, C. Pomptinus, fortissimus uir, ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione excitatum proeliis fregit eosque domuit qui lacesierant, et ea uictoria contentus re publica metu liberata quieuit. C. Caesaris longe aliam uideo fuisse rationem ; non enim sibi solum cum iis quos iam armatos contra populum Romanum uidebat bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram dicionem esse redigendam. Itaque cum acerrimis nationibus et maximis Germanorum et Heluetiorum proeliis felicissime decertauit, ceteras conterruit, compulit, domuit, imperio populi Romani parere adsuefecit, et quas regiones quasque gentis nullae nobis antea litterae, nulla uox, nulla fama notas fecerat, has noster imperator nosterque exercitus et populi Romani arma peragrarunt. Semitam tantum Galliae tenebamus antea, Patres conscripti ; ceterae partes a gentibus aut inimicis huic imperio aut infidis aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis tenebantur ; quas nationes nemo umquam fuit quin frangi domarique cuperet.

Cicéron.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

LES PROGRÈS DU GÉNIE HUMAIN

Necdum¹ etiam doctas sollertia fecerat artes,
Terraque sub rudibus cessabat uasta colonis ;
Tumque in desertis habitabat montibus aurum,
Immotusque nouos pontus subduxerat orbes,
Nec uitam pelago nec uentis credere uota
Audebant ; se quisque satis nouisse putabant.
Sed cum longa dies acuit mortalia corda
Et labor ingenium miseris dedit et sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo,
Seducta in uarias certarunt pectora curas
Et, quodcumque sagax temptando repperit usus,
In commune bonum commentum laeta dederunt.
Tunc et lingua suas accepit barbara leges,
Et fera diuersis exercita frugibus arua,
Et uagus in caecum penetrauit nauita pontum,
Fecit et ignotis iter in commercia terris.
Tum belli pacisque artes commenta uetustas ;
Semper enim ex aliis alias proseminat usus.
Ne uulgata canam, linguas didicere uolucrum,
Consultare² fibras et rumpere uocibus angues,
Sollicitare umbras inumque Acheronta mouere,
In noctemque dies, in lucem uertere noctes.
Omnia conando docilis sollertia uicit.
Nec prius imposuit rebus finemque modumque
Quam caelum ascendit ratio cepitque profundam
Naturam rerum causis uiditque quod usquam est.

Manilius

¹ Manilius commence par décrire l'humanité primitive.

² Rétablir <didicere> avant consultare.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Une leçon de philosophie appliquée

Plutarchus seruo suo, nequam homini et contumaci, sed libris disputationibusque philosophiae aures inbutas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum caedique eum loro iussit. Coeperat uerberari, et obloquebatur non meruisse ut uapulet ; nihil mali, nihil sceleris admisisse. Postremo uociferari inter uapulandum incipit, neque iam querimonias aut gemitus eiulatusque facere, sed uerba seria et obiurgatoria : non ita esse Plutarchum, ut philosophum deceret ; irasci turpe esse ; saepe eum de malo irae dissertauisse, librum quoque περὶ ἀοργησίας¹ pulcherrimum conscripsisse ; his omnibus quae in eo libro scripta sint nequaquam conuenire, quod prouolutus effususque in iram plurimis se plagis multaret.

Tum Plutarchus lente et leniter : « Quid autem, inquit, uerbero², nunc ego tibi irasci uideor ? Ex uultu meo an ex uoce, an ex colore, an etiam ex uerbis correptum esse me ira intellegis ? Mihi quidem neque oculi, opinor, truces sunt neque os turbidum, neque inmaniter clamo, neque in spumam ruboremue efferuesco, neque pudenda dico aut paenitenda, neque omnino trepido ira et gestio. Haec enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent. » Et simul ad eum qui caedebat conuersus : « Interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, tu hoc age. »

Aulu-Gelle

¹ περὶ ἀοργησίας : « sur l'impassibilité »

² uerbero : substantif

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Les défenses des éléphants

Pline l'Ancien explique comment réagissent les éléphants lorsqu'ils sont chassés pour leur ivoire.

Praedam ipsi in se expetendam sciunt¹ solam esse in armis suis, quae Iuba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior et consuetudo melius dentes. Quam ob rem deciduos casu aliquo uel senecta defodiunt. Hoc solum ebur est ; cetero et in his² quoque, qua corpus intexit, uilitas ossea. Quamquam nuper ossa etiam in laminas secari coepere paenuria : etenim rara amplitudo iam dentium praeterquam ex India reperitur ; cetera in nostro orbe cessere luxuriae. Dentium candore intellegitur iuuenta. Circa hos beluis summa cura : alterius mucroni parcut, ne sit proeliis hebes, alterius operario usu fodiunt radices, inpellunt moles ; circumuentique a uenantibus primos constituunt quibus sint minimi, ne tanti proelium putetur ; postea fessi inpactos arbori frangunt praedaeque se redimunt.

Mirum in plerisque animalium scire quare petantur, sed et percuncta quid caeant. Elephans, homine obuio forte in solitudine et simpliciter oberrante, clemens placidusque etiam demonstrare uiam traditur ; idem, uestigio hominis animaduerso prius quam homine, intremescere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare nec calcare, sed erutum³ proximo tradere, illum⁴ sequenti, simili nuntio usque ad extremum ; tunc agmen circumagi et reuerti aciemque derigi : adeo omnium odori durare uirus illud maiore ex parte ne nudorum quidem pedum.

Pline l'Ancien.

¹ *Sciunt* a pour sujet « les éléphants ».

² *His* renvoie aux défenses.

³ Sous-entendre *uestigium*.

⁴ *Illum* renvoie à *proximo*.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

L'abondance de biens matériels ne rend pas un homme riche

M'. Manilius¹ patrum nostrorum memoria – ne semper Curios et Luscinos loquamur – pauper tandem fuit ? Habuit enim aedículas in Carinis² et fundum in Labicano ; nos igitur diuitiores qui plura habemus ? Vtinam quidem ! Sed non aestimatione census, uerum uictu atque cultu terminatur pecuniae modus. Non esse cupidum pecunia est, non esse emacem uectigal est ; contentum uero suis rebus esse maximae sunt certissimaeque diuitiae.

Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest, quanti est aestimanda uirtus, quae nec eripi nec subripi potest, neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum perturbatione mutatur ! Qua praediti qui sunt, soli sunt diuites ; soli enim possident res et fructuosas et sempiternas, solique – quod est proprium diuitiarum – contenti sunt rebus suis, satis esse putant quod est, nihil adpetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem et auari, quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent et plus semper adpetunt nec eorum quisquam adhuc inuentus est cui quod haberet esset satis, non modo non copiosi ac diuites sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

CICÉRON

¹ Célèbre orateur et jurisconsulte, consul en 149 av. J.-C.

² Les Carènes (quartier de Rome).

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

La destruction de Persépolis

Alexandre s'est emparé de Persépolis, une capitale de l'empire perse, où se trouve le palais royal qui n'a pas été détruit lors du sac de la ville.

De die inibat¹ conuiuia quibus feminae intererant, non quidem quas uiolari nefas esset, quippe pelices licentius quam decebat cum armato uiuere adsuetae. Ex his una, Thais, et ipsa temulenta, maximam apud omnes Graecos initurum² gratiam adfirmat, si regiam Persarum iussisset incendi : expectare hoc eos quorum urbes Barbari delessent. Ebrio scorto de tanta re ferente sententiam, unus, alter – et ipsi mero onerati – adsentiuntur. Rex quoque audior fuit quam patientior : « Quin igitur ulciscimur Graeciam et urbi faces subdimus ? » Omnes incaluerant mero : itaque surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiae iniecit, tum conuiuae et ministri pelicesque. Multa cedro aedificata erat regia, quae celeriter igne concepto late fudit incendium.

Quod ubi exercitus, qui haud procul urbe tendebat, conspexit, fortuitum ratus ad opem ferendam concurrat. Sed ut ad uestibulum regiae uentum est, uident regem ipsum adhuc aggerentem faces. Omissa igitur quam portauerant aqua, ipsi aridam materiem in incendium iacere coeperunt. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, unde tot gentes antea iura petebant, patria tot regum, unicus quondam Graeciae terror, molita mille nauium classem et exercitus, quibus Europa inundata est.

QUINTE-CURCE

¹ Le sujet est Alexandre

² Comprendre : *Alexandrum initurum esse*.

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Il ne faut pas se mettre en colère contre des broutilles

Inde et illud sequitur ut minimis sordidissimisque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer aut tepidior aqua poturo¹ aut turbatus torus aut mensa neglegentius posita : ad ista concitari insania est. Aeger et infelicis uoletudinis est quem leuis aura contraxit, adfecti oculi quos candida uestis obturbat, dissolutus deliciis cuius latus alieno labore condoluit. Mindyriden² aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate qui, cum uidisset fodientem et altius rastrum adleuantem, lassum se fieri questus uetuit illum opus in conspectu suo facere ; bilem habere saepius questus est, quod foliis rosae duplicatis incubuisset.

Vbi animum simul et corpus uoluptates corrumpere, nihil tolerabile uidetur, non quia dura, sed quia mollis patitur. Quid est enim cur tussis alicuius aut sternutamentum aut musca parum curiose fugata in rabiem agat aut obuersatus canis aut clauis neglegentis serui manibus elapsa ? Feret iste aequo animo ciuile conuicium et ingesta in contione curiaue maledicta, cuius aures tracti subsellii stridor offendit ? Perpetietur hic famem et aestiuae expeditionis sitim, qui puero male diluenti niuem irascitur ? Nulla itaque res magis iracundiam alit quam luxuria intemperans et impatiens : dure tractandus animus est, ut ictum non sentiat nisi grauem.

SÉNÈQUE

1 = datif.

2 = accusatif singulier de *Mindyrides* (nom propre).

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

L'usage d'un ou de plusieurs dictionnaires latin-français est autorisé, à l'exception de tout autre recueil de vocabulaire.

Contre le goût du luxe des jeunes filles

O pereat quicumque¹ legit uiridesque² smaragdus
et niueam Tyrio murice tingit ouem !
Hic dat auaritia causas et Coa puellis
uestis et e Rubro lucida concha mari ;
haec fecere malas ; hinc clauim ianua sensit
et coepit custos liminis esse canis ;
sed pretium si grande feras, custodia uicta est
nec prohibent clauis et canis ipse tacet.
Heu ! quicumque dedit formam caelestis auarae,
quale bonum multis attulit ille malis !
Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
fecit ut infamis nunc deus exstet Amor.
At tibi, quae pretio uictos excludis amantes,
eripiant partas uentus et ignis opes :
quin³ tua tunc iuuenes spectent incendia laeti,
nec quisquam flammae sedulus addat aquam ;
seu ueniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus
nec qui det maestas munus in exsequias.
At bona quae nec auara fuit, centum licet annos
uixerit, ardentem flebitur ante rogum ;
atque aliquis senior ueteres ueneratus amores
annua constructo sarta dabit tumulo
et « bene » discedens dicet « placideque quiescas,
terraque securae sit super ossa leuis. »

TIBULLE

¹ *quicumque* : « quiconque ».

² *uiridesque* : lire *uirides*.

³ *quin* : particule d'affirmation.